

NOVEMBRIS

Die 8 Novembris

**Omnium Sanctorum Ecclesiæ Hierosolymitanæ
Festum**

Ant. ad introitum

Hebr. 12,22-23

Accessistis ad Civitatem Dei viventis, Ierusalem cael estem,
et Eccl esiam primogenitorum qui conscripti sunt in
caelis.

Collecta

Tribue, quæsumus, omnipotens Deus,
omnes Sanctos, quos nostra ferventius veneratur Eccl esia,
fraterna nobis intercessione iuvare,
ut quorum intuemur exitum conversationis, fidem imitemur.
Per Dominum.

LECTIO PRIOR

«Ecce ego declinabo super Ierusalem quasi fluvium pacis»

Lectio libri Isaiae prophetae

66, 10-14 c

Lætamini cum Ierusalem et exultate in ea, omnes qui
diligitis eam; gaudete cum ea gáudio, univérsi qui lugétis su-
per eam.

Ut sugatis et repleámini ab ubere consolationis eius,
ut mulgeatis et deliciis affluatis ex ubéribus glóriae eius.

Quia hæc dicit Dominus: «Ecce ego dirigam ad eam

quasi flúvium pacem et quasi torréntem inundántem glóriam géntium.

Sugétis, ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis. Quómodo si quem mater consolátur ita ego consolábor vos; et in Ierúsalem consolabímini.

Vidébitis et gáudébit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinábunt, et manifestábitur manus Dómini in servis eius».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Tob 13, 10-15⁺; 17-19 (R. cf 18)

R/. Beáti qui díligunt Ierúsalem.

- 1 Benedícite Dóminus, omnes elécti eius.
ágite dies lètitiæ et confitémini illi.
Ierúsalem, cívitas Dei,
castigávit te Dóminus in opéribus mánum tuárum. R/.
- 2 Confitére Dómino in bonis tuis, et bénedic Deum sæculórum;
ut reædificet in te tabernáculum suum
et révocet ad te omnes captivos,
et gáudeas in ómnia sæcula sæculórum. R/.
- 3 Luce spléndida fulgébis,
et omnes fines terræ adorábunt te.
Natiónes ex longínquo ad te vénient,
et múnera deferéntes adorábunt in te Dóminum. R/.
- 4 Et terram tuam in sanctificationem habébunt,
nomen enim magnum invocabunt in te.

Tu autem lètáberis in filiis tuis,
quóniam omnes benedicéntur
et congregabúntur ad Dóminum. R/.

- 5 Beáti omnes qui díligunt te,
et qui gaudent super pace tua.
Anima mea, bénedic Dóminum,
quóniam liberávit Ierúsalem civitátem suam
a cunctis tribulatióibus eius, Dóminus Deus noster. R/.

ALLELUIA

Mt 5, 12

R/. Alleluia V/. Gaudéte et exsultáte, quóniam merces ves-
tra copiosa est in cælis. R/. Alleluia.

EVANGELIUM

«Beati pauperes spiritu»

† Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum 5, 1-12
In illo témpore :

Videns Iesus turbas, ascéndit in montem; et cum sedís-
set, accessérunt ad eum discípuli eius; et apériens os suum
docébat eos dicens:

Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est Regnum
cælórum.

Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.

Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

Beáti qui esúriunt et sitiunt iustitiam, quóniam ipsi sa-
turabúntur.

Beáti misericórdes, quia ipsi misericórdiam consequéntur.

Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

Beáti pacífi, quóniam filii Dei vocabúntur.

Beáti qui persecutióne patiúntur propter iustitiam, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti estis cum maledíxerint vobis et persecuti vos fúerint et díixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me; gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiosa est in cælis.

Verbum Dómini.

Super oblata

Placábilem te nobis reddat, Dómine,
et præsens oblátio,
et omnium intercéssio nostræ Ecclesiæ Sanctórum;
ut illórum qui iam de sua immortalitaté secúri,
adhuc de nostra salúte sunt sollíciti, concíves esse mereámur
Per Christum.

Praefatio

V. Dóminus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Gratias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutáre,
nos tibi, semper et ubique grátias ágere:

Dómine, sancte Pater, omnípotens ætére Deus:
Nobis enim hódie civitatem tuam tribuis celebráre,
quæ mater nostra est cælestisque Ierúsalem,
ubi fratrum nostrorum iam te in æténum coróna colláudat.

Ad quam peregríni, per fidem accedéntes, alacríter festinámus,
congaudéntes de Ecclésiæ sublímium glorificatióne membrórum,
quæ simul fragilitati nostræ adiumenta et exémpla concédis.
Et ídeo, cum ipsórum Angelorúmq[ue] frequéntia,
una te magnificámus laudis voce clamántes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus...

Ant. ad communionem

Act 1, 8

Accipítetis virtútem superveniénte Sancto Spíritu in vos,
et éritis mihi testes et in Ierúsalem
et in omni Iudæa et Samaria
et usque ad últimum terræ.

Post communionem

Dómine, Deus omnípotens, quem unum sanctum adorámus,
fac nos vítali cum cælítibus consórto confidéntes,
in sanctificatiónis via ita prógredi,
ut ex hac mensa peregrinántium
ad perénne transeámus patriæ convívium.
Per Christum.